

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3187

Auteur(s) : Simon de Dammartin, Ponthieu (comte)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1234, 25 mars-1235, 24 mars]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Accord avec Alix, comtesse d'Eu, déterminant les services dus par celle-ci à raison des fiefs qu'elle tient du comte de Pontieu.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° CCXCVII, p. 432-433.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes pariter et futuri quod ego Simon, comes Pontivi, et Maria, uxor mea, pacem fecimus cum Aelide, comitissa Augi, de contencionibus que erant inter nos et ipsam de serviciis que ab ea exigebamus pro feodis que dicta comitissa Augi et heredes sui tenent et tenere debent de nobis et heredibus nostris per homagium, tali modo quod ego et heredes mei et homines mei debemus habere refugium in terra dicte comitisse Augi, et ipsa et heredes sui et homines sui similiter debent habere refugium in terra nostra contra omnes, preterquam contra dominum regem Francie. Sciendum vero est quod nos quitavimus dictam comitissam Augi et heredes suos de omnibus serviciis et querelis que ab eadem exigebamus de feodis predictis, exceptis illis que scripta sunt in carta ista pro serviciis trium militum quos ipsa et heredes sui debent mittere nobis et heredibus nostris ad competentem summonicionem nostram, ad custus nostros ex quo movebunt ad veniendum in servicium nostrum, ad eundum in exercitum vel equitacionem nostram. Quando vero nos disgregaverimus exercitum vel equitacionem nostram, nos dabimus licenciam militibus dicte comitisse Augi, si vero noluerimus dare eis licenciam, ipsi libere poterunt recedere. Et si forte contenciones evenerint inter nos de feodis que dicta comitissa tenet de nobis, omnes erunt determinate et emendate in marchia, in loco ubi antiquitus solent emendari, videlicet apud Pontem. Sciendum vero est quod nos nec heredes nostri non possumus clamare servicia super dictam comitissam Augi, nec super heredes suos, nec super homines suos, nec super feoda sua, nisi servicia predicta. Et nos et heredes nostri tenemur garandire dicte comitisse Augi et heredibus suis contra omnes predicta feoda cum pertinenciis, per antedicta servicia, tamquam domini feodi. Et ut hoc ratum etc. Actum anno Domini M° CC° XXX° IIIto.